

Band X., Nr. 4214, Seite 14-15

Diether von Plieningen genannt Melschner gibt das von seinem Vater erworbene Pfandrecht am Fronhof in Plieningen zugunsten des Klosters Bebenhausen gegen Ausbezahlung der Pfandsumme auf.

Esslingen, 1292. Januar 29.

Presentium litterarum inspectoribus universis Dietherus de Blieningen dictus Melschener Constantiensis dyocesis rei notitiam subnotate. Tenore presentium recognosco et tamquam in iure confessus facio notorium universis, quod curiam sitam in predicta villa Blieningen dictam Frönhöf cum eius iuribus et pertinentiis universis quondam Diethero patri meo a strennuo domino quondam Rüdolfo comite palatino de Túwingen dicto de Bebelingen pro certa pecunie summa titulo pignoris obligatam religioso monasterio de Bebenhúsen predicte dyocesis de consensu et mandato . . . matris mee carissime ac loco Swigeri fratris mei dilectissimi dimisi liberam et solutam, presertim cum prefata curia ex venditione magne sublimitatis domini Götfridi heredis predicti comitis palatini predicto monasterio facta ceperit pleno iure ac iusto titulo pertinere, et cum ex parte predicti monasterii quinquaginta et quinque libre denariorum Hallensis monete mihi sint pro recuperatione pignoris exsolute. Ne autem Swigerus frater meus predictus in prefata curia sibi de cetero quicquam iuris vel occasionis audeat usurpare, cavere teneor ab evictione seu ab instantia memorati fratris mei, plerumque cavere teneor de non petendo et hoc efficere non dimitto secundum iustitiam vel amorem. In quo casu strenuissimum dominum meum Eberhardum comitem de Wirtemberg ac dilectum avunculum meum Herbrandum de Oswil fideiussores dederam et warandos. Ceterum nos comes predictus simpliciter confitemur, quod ad preces memorati Dietheri dicti Melschener obligati remanebimus sub hac forma, ut Swigerus prefatus cum primum repatriaverit consensum facto adhibeat prenotato, alioquin ex pacto militem unum fama minime destitutum ad opidum Ezzelingen tenebimur destinare, quandocunque post repatriationem predicti Swigeri fuerimus requisiti, qui siquidem miles donec ad premissorum perfectionem omnium non cessabit apud memoratum opidum obstagia inviolabiliter observare. Ego vero Herbrandus obstagium simile in forma simili teneor observare propria in persona. In quorum omnium evidentiam litteras hincinde confectas nos prefatus comes nostro sigillo fecimus communiri.

Datum et actum apud Ezzelingen, virorum discretorum Marquardi capitanei, Rûperti sculteti, Cûnradi fratris sui, Friderici de Hallis et Hugonis dicti Nallinger testimonio accedente, anno domini MCC nonagesimo secundo, IIII. kalendas Februarii.



Textabdruck folgt dem Original.

Abhängend das WUB, Bd. VIII, S. 191, Nr. 2915 beschriebene Siegel des Grafen Eberhard von Württemberg.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 474 U 1712

Editionen:

Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins 1 (1850) - 39 (1885), N.F.
1=40 (1886) - [...], Bd. 14, S. 200.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Esslingen

Ortsindex:

(Burg) Württemberg Wüstung (21519)

(Burg) Württemberg, Stuttgart, S, W

Bebenhausen Wohnplatz (16199)

Bebenhausen, Tübingen, Tü

Böblingen Wohnplatz (84)

Böblingen, BB

Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)

Esslingen am Neckar, ES

Konstanz Wohnplatz (14442)

Konstanz, KN

Oßweil Wohnplatz (1028)

Oßweil, Ludwigsburg, LB

Plieningen Wohnplatz (41)

Plieningen, Stuttgart, S

Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)

Schwäbisch Hall, SHA
Tübingen Wohnplatz (16214)
Tübingen, TÛ